

tes bonorum honestis officiis aures sibi occupant, quod in ipso dominationis initio præ ceteris periculosum. Id animadvertentes Palatini Socii ab omni etiam debita laudatione abstinuimus, ut majorem gratiam apud modestissimum Principem iniremus ob sincerius & castigatius officium; sed, ne vacuum omnino, & ferme incivile vilesceret, gratulationi nostræ munus addidimus, quod sociali nomine Serenitati Tuæ humiliter offero, aptum, ni fallor, novo Principi, nobis literarum studiosis congruum, ac tempori, quo feliciter à Deo Opt. Max. in Principatum assumptus es, consentaneum: Historiarum scilicet Librum, qui Tomus IX. est Rerum Italicarum à Muratorio nostro collectarum, cujus à solo argumento comperies, quò mens nostra respexerit, cum Serenissimo Nomini Tuo dicatum voluimus.

In eo siquidem res in Italia nostra gestæ per superiora tempora recensentur, & in iis præcipuè regionibus, quas imperio tuo regendas Divina nuper tradidit Providentia. Plura nostratium Principum domi forisque egregia facinora, & ne veritatem dissimulemus, plura etiam vitiorum monumenta servantur, queis in effrænes dominatores, suo, subditarumque gentium exitio degenerasse constat. Varia bonorum, maiorumque fortuna, & varia etiam eorum imago diversis coloribus effingitur; nam raptus amore bonitatis, vel inflatus odio tyrannidis, excusso tormentorum metu, paullo liberius